Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Matthäus Evangelist, Heiliger

Dvo Prima Capita Evangelii Secvndvm Matthaevm Cvm Oratione Dominica Cap. VI. v. IX-XIII. Et Pericopa Pentecostali Act. II. v. I-XIII. Ex Versione Tvrcici Interpretis Oxionae A. D. MDCLXVI.

Bremae: Helmstadii: Rumpianus: Schnorrius, 1756

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819094994

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819094994/phys_0001
DFG

Fc. 1436!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819094994/phys_0002
DFG

DVO PRIMA CAPITA

EVANGELII SECVNDVM MATTHAEVM

CVM

ORATIONE DOMINICA

CAP. VI. V. IX-XIII.

ET

PERICOPA PENTECOSTALI

ACT. II. V. I-XIII.

EX VERSIONE

TVRCICI INTERPRETIS

OXONIAE A. D. MDCLXVI.

EDITA

EX TVRCICO IN LATINVM

TRANSTVLIT

LXXX PROVERBIA TVRCICA

LATINE SVBIVNXIT

ATQVE

TAM

DE TVRCICAE LINGVAE ORIGINE NATVRA ELEGANTIIS VSIBVS SPECIATIM IN EXPLICANDIS AVLICIS ALIISQVE NOMINIBVS ET QVIBVSCVNQVE LIBRORVM SVBSIDIIS

QVAM

DE HOC SPECIMINE TVRCICO

PRAEFATVS EST

CHRISTOPHORVS AVGVSTVS BODIVS

LINGG. OO. IN ACAD. HELMST. P. P.

BREMAE

PROSTAT IN BIBLIOPOLIO RVMPIANO

MDCCLVI.

Fr-1436 1-4.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819094994/phys_0005

DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

PRAEFATIO

Imperium Turcicum, a primo ſuo Conditore et Dominatore OTHMANE, vel OSMANE, ſtilo orientali *Othomannica porta* dictum, tanquam vaſtiſſimum imperium, quod non in Europa ſolum, ſed et in Aſia atque Africa, multas magnasque provincias in ſe continet, notiſſimum eſt. At Lingua Turcica, neſcio quo fato, perparum, et inter omnes Orientales Linguas forſan minime, eruditis hucusque innotuit; quamvis ſit Lingua, iisdem, quibus imperium Turcicum, regioni-

gionibus et terminis circumscripta, atque, ut ex sequentibus patebit, pluribus nominibus se se commendans. Itaque operae pretium me facturum esse existimavi, si ad promovendum, quantum in me quidem situm est, Linguae Turcicae studium, specimen quoddam Turcicum in lucem emitterem, eique generalem quandam de Lingua Turcica Commentationem, tanquam prodromum, praefando praemitterem.

Quemadmodum Tatari, vel, sicut nostrates pronuntiant, Tartari, quorum princeps sub nomine *Tartarchan*, q. d. Tartarorum princeps, vulgo notus est, Turcas pro posteris suis agnoscunt; ita et Lingua Tatarica tanquam mater pro filia agnoscit Linguam Turcicam, matre quidem paulo suauiorem politioremque, eidem tamen quoque ita similem, ut qui illam callet hanc etiam nullo fere negotio addiscere possit. Videantur de hacce gentis et linguae Turcicae origine Tatarica, et ipsorum Tatarorum lingua et rebus, post SEAMANNVM in *Grammatica Turcica*, MENINSKIVS *Gram. Turc.* Ed. primae p. 28. 29. CLODIVS in *Praef. ad. Lex. Turc.* p. 7. BVSBEQVII *Epistolae;* WILKINSII *notae ad Orationem Dominicam Tataricam*, in *Sylloge* CHAMBERLAYNIANA; HYDE in *Comm. de religione Veterum Persarum;* et *Thesaur. Epist. Lacroz.* P. I. et III. Indices sub vocibus *Tartari Tartarica.* Nec tamen ideo Lingua Turcica ex sola Tatarica conflata censeri debet, siquidem et ex aliis linguis multa immixta habet. Non dicam de Lingua Hebraica, Graeca, Hungarica, Slavonica, Polonica, Italica, et ipsa nostra

noſtra Germanica, quarum omnium cum Turcica convenientiam ſingulis exemplis l. c. demonſtravit CLODIVS, ſed de duabus aliis, Turcicae prae illis longe affinioribus, adeoque cum ea coniunctis, ut qui hanc rite addiscere voluerit, iſtas ignorare non debeat. Sunt hae Linguae Arabica et Perſica. Ex utraque illa Turcae non ſolum ſuae linguae defectus ſupplent, ſed et elegantiam ei conciliant, innumeras voces phraſes et ſententias Arabico-Perſicas ſuae linguae, vel integras, vel leviter immutatas applicantes. Vid. CLODIVS *Praef. cit. p. 9.* et MENINSKIVS in *Gram. Harm. Turc. Ar. Perſ.* integra. Vt vero ad grammaticam Linguae Turcicae naturam quodammodo delineandam propius accedam; primo Alphabetum Turcicum ex trium linguarum litteris conſonantibus compoſitum eſt; nempe ex ſingulis Arabicis, quas Turcae una cum religione Muhammedica ab Arabibus acceperunt, et quarum duae, *Elif* ſcilicet et *Lam*, inſuper coniunctae novam eis litteram, vel ſi mavis, figuram pepererunt, *Lam Elif* dictam, unde ortum traxit phraſis Turcica: ſtaturae ſuae Elif Lam facere, pro incurvare ſe coram aliquo; ex quatuor Perſicis, ipſis Perſis alias propriis, Pe, Che, Zhe et Ghaf, omnibus tribus punctis notatis; ac una denique mere Turcica, Saghyr Nun h. e. Nun ſurdum dicta, et figura quidem cum Perſico Ghaf prorſus conveniente, ſecus tamen ac illud, nempe ut *n* finale Gallicum, ſeu *ng*, pronuntianda, licet reliquae litterae Perſicae, aeque ac Arabicae, eundem, quem apud has nationes, valorem et ſonum, ut figuram, ha-

beant. Vocales quoque cum Arabibus et Persis easdem agnoscunt Turcae, sicuti etiam in notis diacriticis ac orthographicis cum istis conveniunt; nisi quod vocales aliis apud Turcas gaudeant nominibus, et omitti soleant ut plurimum, notae vero illae, et ipsaemet praeter duas Hamza et Tesdid omitti solitae, unum saltem excludant Wesla, a solis quippe Arabibus usurpatum. Nomina, quae Verbis in suis scholis praemittunt Turcae, Articulo non minus quam Nunnatione Arabum carent; unicum et invariabile genus habent; duas vero Declinationes, una Nominibus Consonante, altera Nominibus vocali nostra terminatis propria, hacque ab illa unica tantum littera in declinando quibusdam Casibus addita differente; ac duplicem Numerum, Singularem et Pluralem, hoc ex illo adiecta saltem Syllaba *ler* facto, et eodem modo formato qua Casus, quorum in utroque Numero, ut apud Latinos, sex sunt, et ex quibus, pro diversa Declinatione, Genitivus in *ün*, vel *nün*, Dativus in *eh* vel *ieh*, Accusativus in *i* vel *ii* desinit, Vocativo utriusque Declinationis Nominativo praefigente *a* vel *i*, et Ablativo utrinque suffigente *den*. Verba Turcica duas habent Coniugationes parum diversas, primae Infinitivo in *mek*, secundae in *mak* desinente, ambae vero Coniugationes habent quinque Modos: Indicativum, Imperativum s. Permissivum, Optativum, Subiunctivum, (Conditionalem s. Potentialem), et Infinitivum, ex quo ultimo, ceu scaturigine, ut ipsis Turcis propterea audit, abiectis eius Terminationibus *mek* et *mak*, omnia formantur Verborum Tempora,

pora, Praesens, Praeteritum Imperfectum, Perfectum, Plusquamperfectum, et Futurum, quibus formandis insuper duplex Verbum Substantivum, alterum integrum, alterum defectivum, compositione auxiliatur, quaeque duos possident Numeros, Singularem ac Pluralem, et in utroque tres personas, ratione sexus aut generis non distinctas: caeterum, qua genus, divisibilia in Activa Passiva et Neutra, Activis solis Terminationibus Infinitivorum *mek* et *mak*fruentibus, Passivis ante istas Terminationes *l il n an en in vel ün* inserentibus, Neutris vero ante easdem *le len la* vel *lan* praefigentibus; qua Speciem, in primitiva et derivativa, posterioribus, quarum variae rursus classes sunt, a prioribus, insertis quibusdam litteris, formatis, ut reciprocis, inserto primitivis *n* vel *in*, reciprocatis s. cooperativis, inserto *s'* vel *is'*, negativis, inserto *me* vel *ma*, impossibilibus, inserto *ehme* vel *ehma*, et transitivis, inserto *dür ür* vel *t;* qua figuram denique, in simplicia et composita, hisce in phrases abeuntibus, atque vel ex duobus Verbis pure Turcicis, vel ex vocibus Arabicis et Persicis, cum verbis origine Turcicis coniunctis, constantibus, ad quae Verba auxiliaria origine Turcica post ipsum Verbum integrum Substantivum, quorundam compositorum partem constituens, *olmak* esse fieri, referenda sunt: *etmek* facere agere, *eilemek* id. *külmak* id. *almak* accipere, *bas'lamak* incipere, *bilmek* scire, *buiurmak* imperare, *bulmak* invenire, *c'iekmek* trahere *gielmek* venire, solere, *giörmek* videre, *giöstermek* ostendere commonstrare, *iemek* edere

ic'mek

ič'mek bibere, *iurimek* incedere, *komak* tenere, *tutmak* idem, *wirmek* dare, et forte adhuc alia, quae, ut apud Persas similia, elegantissimas pariunt phrases, ex quorum Lingua, elegantissimarum compositionum foecunda quasi matre, multa quoque Nomina composita elegantissima in suam Linguam Turcae receperunt. Quoad Particulas Turcicas, Adverbia proprie sic dicta inter eas non dantur, sed sub Nominibus eiusdem significationis comprehenduntur; Praepositiones vero, vel potius Postpositiones, non ante sed post Nomina ponuntur. Quantum denique ad Syntaxin Turcicam, ea quaedam cum Hungarica communia habet, ut quum Verbum periodi, quantumvis longissimae, ultimum locum occupat; quaedam cum Germanica, ut quum Substantivum suo Adiectivo, quin et alteri quod regit Substantivo, in gignendi casu postponitur; quaedam vero habet propria, quorsum singulares Constructiones et Transpositiones verborum pertinent, propter quas Turcica vix ac ne vix quidem, ad litteram et ordine verborum servato, Latine reddi possunt, nisi aures Latinas offendere velimus nimium. Atque haec de genio Linguae Turcicae grammatico delibasse sufficiat pro scopo meo, cum plura ex ipsis Grammaticis Turcicis, quas infra adhuc recensebo, peti et possint et debeant.

Orationis veneribus, vel elegantiis, licet ex Arabica et Persica Lingua maximam partem petitis, non carere Linguam Turcicam, supra ὡς ἐν παρόδῳ aliquo-

aliquoties iam ſignificavi. Hae vero elegantiae, cum et ad plenius de Lingua Turcica ferendum iudicium faciant, et ſuavitate ſua Linguam hancce non parum commendent, iis, quae de grammatica Linguae noſtrae natura antea diſſerui, tanquam appendicem nunc proxime ſubiungam elegantiſſimarum ingenioſiſſimarumque dictionum et phraſium Turcicarum qualemcunque catalogum, proverbiis elegantioribus, quibus omnes orientales populi, maxime vero Arabes, abundant, ipſimet huius opuſculi textui inſertis. Iam, ut a Deo et hoc loco principium fiat; Deus Turcis eſt officinae fati aedilis, et pictor aeternitatis; apud quem, ſecundum formulam Diplomatibus praemiſſam, ſunt claves arcani, quos dat cui vult in infinitum; quique octodecim mille mundos, ac ſeptem gehennae cellas creavit. Meſſias eſt throni quarti coeli poſſeſſor, eiusque halitu praeditus Medicus, optimus Medicus. Angeli ſunt Secretarii Dei, et ſpirituum ſeu animarum captores, unde phraſis: angelo captori animae claves exiſtentiae tradere, pro mori, quod alias circumſcribunt per in veram patriam (quae Turcis coelum) reverti, miſericordiae Dei adiungi, vel hac frui, additis quandoque formulis: ſanctificetur ſepulchrum eius, illuminet tumulum eius Deus. Spectrum eſt angelus niger, quemadmodum ſervus niger eſt ein Kücheniunge. Homines ſubditi ſunt depoſita creatoris hominum; frater eſt ſocius ventris; ſoror, virgo ſocia ventris, it. collactanea; nutrix, lactis mater; famulus, ad latus accedens (at fugiens, latus dans); ſancti ſunt

cardines mundi et poli; ſapientiſſimus vel prudentiſſimus eſt Aſſeſſo miniſtro ſupremo Salomonis ſapientia ſimilis; experientiam rerum conſecutus, coctus, qui maturuit; laborioſus, laciniam veſtis attollens, et ſic tibiam nudans, it. pulverem ex fimbria veſtis excutiens, et ad brachium aliquid revocans; lente progrediens, leporis curru venans; liberalis, apertae manus homo; peritus, oculos habens apertos; fautor et protector, dorſum alteri faciens; adoptans aliquem, per induſii colare illum traiiciens; gubernator, ſeptum faciens; felix, bonae conſtellationis homo; litteratus, qui multa legit, alias a terendo dictus; ſponſus, iubilans; nubens foemina, quae ad maritum it; orphanus, qui ſine homine; peccator, homo faciei nigrae, quamuis etiam nigredo faciei in ſpecie ſit ignominia, ſicut albedo faciei, ut aqua faciei, honor, unde formulae: facies tua ſit alba, et, oculus tuus ſit albus vel lucidus, h. e. ſis felix; peccatum originale, granum cordis nigrum; philavtia laborans, ſuimet idololatra; ſuperbus vel ambitioſus, ego dicens; fallax, duarum facierum homo; ingratus, panis et ſalis accepti perfidus, it. ſub beneficio manens; adulator, ad barbam ridens; falſus amicus, oculorum amicus; avarus, ludaeus; pervicax, caput retrahens; ſtuprans virginem (quae Turcis pro raro eſt) virginitatis ruptor, it. ſigillum frangens, ut Perſis, cortinae lacerator; audax, caput non curans, et de anima ludens; avidus, oculum famelicum habens; datam rem retrahens, ſputum ſuum lingens; maledicus, linguam extendens, vel longam faciens, et nomen detrahens

trahens; parasitus, gratis comedens; heluo, mensam exsiccans; ebrius, bonus capite; obiurgator, caput percutiens; renuntians rei eamque non curans, laciniam excutiens, et pluteo rem imponens; haereticus, novator; stupidus, asinus; latrocinator, vias incidens; miser, ictus a coelo, et sine sidere. Mustela est quasi sponsula; noctua, diaboli avis, ut Persis, aranea, diaboli pes; avis lac, res irreperibilis; alauda, avis campi; luscinia, mille vocum et narrationum avis; aquila, lapidum comestor, et leporum captor; leporis somnus, falsum promissum; ardea, pisces extrahens; bombyx, vermis Hiobi; bubo, avis murium; lupi cauda, crepusculum matutinum (ob coloris similitudinem); aspis, surdus serpens. Alnus est arbor rubra; viride folium, leve donum; castanea, glans regia; cubeba, granum sponsi; prunum damascenum, prunum Syriae; Armeniacum prunum (Morelle), flavum prunum; petrosilinum, stomachum mulcens, zingiber, calida herba; paeonia, auris ursi etc. etc. Plures dictiones phrasesque elegantiores Turcicas, Lexicorum et Textuum Turcicorum, una cum Grammaticis infra enumerandorum, evolutio cuivis suppeditabit.

Ex iis quae proxime differui saltem liquet, Linguam Turcicam esse iucundam Linguam. At eadem Lingua, nisi necessariam dicere velis, ob nexum ipsius cum Lingua inprimis Arabica arctissimum, de quo iam supra, utilis tamen, quin perutilis, quoque di-

 cenda

cenda eſt, non ſolum ob illum nexum, ſed et, partim, ob multa nomina Turcica, maxime aulae miniſtrorum, quae tantum non ab omnibus in relationibus publicis politicis et alibi leguntur, atque uſurpantur, a paucis vero qua originem et vim plene intelliguntur, partim, ob ſcripta Turcica varii generis utiliſſima. Hunc ultimum uſum ad finem fere Praefationis reſervaturus, nunc quidem praecedentem iſtum ita perſequar, ut dicta aulae miniſtrorum, aliarumque perſonarum et rerum, nomina Turcica, ex Grammaticis et Lexicis, vel ex ipſa Lingua Turcica illuſtrem, praemiſſis nominibus, toti nationi Turcicae vel propriis, vel cum caeteris Muhammedanis populis communibus. Vſitatiſſimum, apud noſtrates ſaltem, (apud Turcas enim propter notionem adhaerentem tanquam odioſum exulat) eſt ipſum illud *Turcarum* nomen, quod, ut potiores tantum etymologias memorem, alii derivant a *Thogarma* Gen. X, 3. *Turcomannos* ex *Thogarmannis* levi mutatione factos eſſe exiſtimantes; alii a Rad. Arabica *taraka* reliquit, quia Alexander M. Gogum et Magogum includens, quosdam extra murum ferreum a ſe paratum reliquerit; alii denique a voce Turcica *Turk*, quae vagabundum, latronem, agreſtem et pecuinum hominem ſignificat, perinde ut derivatum *Turklik* barbariem et vagorum Turcarum manſionem, licet Turca etiam pro formoſo puero a Turcis uſurpetur; quae Etymologia, et cum origine nationis fera, et cum averſione eiuſdem a nomenclatura iſta optime convenit. Ipſi Turcae ſe vocari amant *Muſulmannos* vel *Muslemos*, q. d.

in

in Deum credentes, fideles, vel orthodoxos, a Participp. Conj. IV. Arab. *aslama* tradere, et credere in unum ſolum Deum creatorem coeli et terrae; item *Hanifeos*, ab *Hanifa*, uno ex quatuor religionis Muhammedicae antiſtitibus, cui adhaerent, et Rad. Ar. *hanifa* veram religionem coluit, orthodoxus fuit, unde cum priori nomine coincidit; *populum unificationis* h. e. confeſſionis unius Dei, in oppoſitione ad Chriſtianos, quos ob Trinitatis confeſſionem vocant *populum tertiationis*, et *aſſociantes*, *(müs'rik)* id eſt, Deos alios vero Deo adiungentes. Alias a noſtratibus vocantur: *Othomanni*, ab *Othmane* vel *Osmane*, primo eorum Imperatore; *Saraceni*, h. e. orientales, in ſpecie ſic dicti, a Rad. *Saraka*, eiusque *oriendi* ſignificatione, in Aethiopismo adhuc ſuperſtite; *Hagareni*, vel *mohāgerin*, ab Hegira ſeu fuga Muhammedis, a quo tempore annos ſuos numerant, huiusque Rad. *hāgara* Conj. III. diſceſſit a ſuis; et *Sunnitae*, a *Sunna* ſeu traditione Muhammedis orali, quam una cum Corano recipiunt. Caeterum Perſae, Turcarum hoſtes infenſiſſimi, verbis ludunt, quum dicunt: *ätrak bi idrak* h. e. Turcae ſine intellectu; at ab his ſimili quoque verborum luſu caſtigantur, quando *farſiian bi ferzan* h. e. Perſae ſine prudentia, dicunt, inſuper, ob capitis faſcias, *capita rubra*, ut Tatari *capita viridia*, dicti. Summus Turcarum Imperator uſitatiſſime vocatur, vel *Sultan*, vel *Magnus Sultanus*, der *Grosherr*, a Rad. Ar. *s'alata*, reſpondente Hebraeae שלט dominatus eſt, regnavit, a quo Nomine etiam herba illa amaranthus Turcice di-

 citur

citur *Sultan böreki*, qu. Sultani artocreas; deinde *Chunkiar*, ſanguinis factor, ob ius vitae et necis, a Perſicis vocibus *chun* ſanguis et *kiar* factor; it. *Padis'ah*, pellens (ſc. damna et iniquitates) rex, a Perſicis *pad* pellens, unde et *pad zehr*, vulgo *Bezoar*, pellens venenum, antidotum, et *'Sah*, vulg. *Schach*, rex, unde *Sapor* regis filius, alias Perſarum rege praeter *'Sah* etiam dicto *Chan* princeps, et *Sophi* devotus, religioſus, ut Turc. *Muſtapha* eſt electus, ac *Muhamed*, *Achmed* deſideratus; *Ali* h. e. Excelſus vel celſiſſimus, cum quo Nomine convenit illud *haezretileri* celſitudo, maieſtas ſua. Aula Imperatoris vocatur *porta*, it. *porta divitiarum* et *felicitatis*, nec non *limen*, et cum adiuncto, *limen altum*, ac *felicitatis limen*; palatium vero vocatur *Serai*, vulg. *Seraglio*, quaſi dicas principale vel principis aedificium, a Rad. Ar. *ſara*, ult. Je, prominuit et promicuit, unde *principis* notio fluxit in *Sariion*, coll. eiusdem ſignificationis *Emir* (Amiral) et *Mir*, ab *amara* imperavit, et Polon. *waiwoda*, quod etiam principem notat. Inter aulae miniſtros, qui omnes ſervi dicuntur, prae caeteris eminent *Mufti* et *Vezir*. Ille, a Rad. Ar. *fata* docuit nomen adeptus, ſupremus ſacrorum in Turcia antiſtes eſt, eandem apud Turcas auctoritatem obtinens, quam apud Perſas *Sedder* primas, et apud Romanos Papa, adeo ut et ipſe Imperator aſſurgendo eum honoret, quod neutri alii facit. Hic vero, a Rad. Ar. *wazara* baiulavit *Vezir*, et diſtinctionis cauſa a minoribus Veziriis *Veziraezem* vel *azam*, ab *azama* magnus fuit, cognominatus, eſt ſupremus rerum politicarum antiſtes, Imperatori tanquam

quam *baiulus* onus imperii ferens, eiusdemque consilii intimi director. Caeteri aulae ministri, et illis duobus longe inferiores, et inter se quoque diversorum graduum, sunt 1) *Pas'ae*, vulgo *Bassae*, non confundendi cum *Bas'is* vel *Bassis*, compositionem variorum titulorum ingredientibus. Vtrique quidem, vi originis nominum, sunt quasi *Capitanei*, cum *Bas'* caput alias significet (aeque ac illud *reis* et Pers. *ser*, quosdam titulos ingredientia), idemque, per alternationem litterarum, in Turcica Lingua etiam non infrequentem, *Pas'a* quoque proprie significare videatur, sed differunt gradu dignitatis, cum *Pas'ae* sint praefecti maiores provinciarum, *Bas'ae* vero praefecti minores, vel primarii aliorum ministrorum. 2) *Beglerbegii*, maiorum provinciarum praefecti, sub se habentes minorum provinciarum praefectos, *Begos* dictos. Nomen *Beg*, vulgo *Bey*, *Beigh*, (ex quo ultimo compositum est Nomen Principis illius Tartarici, eiusdemque ephemeridum scriptoris, *Vlug Beigh*, priori voce Tartarice *magnum* denotante) idem significat quod alia Nomina Turcica *Aga* et *Efendi*, itemque Persica *Choda* et *Sitrab*, nempe *Dominum*, *Satrapam*, et originem quoque continet appellationis piri illius delicati *Bergamotte;* siquidem haec composita est ex *Beg* Dominus et *armud* pirum, unde primo *begarmudi*, et deinceps, per transpositionem litterarum, *bergamudi*, vel corrupte, *bergamotte*, quasi pirum Domini, eine Herren Birn; in Numero Plurali vero habet *begler*, ideoque *Beglerbeg* est Dominorum Dominus. 3) *Agae*, (de quorum nomine, non confundendo cum *aja*

san-

ſanctus, a ἅγιος, iam antea,) ſunt praefecti, vel tribuni minores. 4) *Kazi*, vulg. *kadi*, eſt iudex urbis, a Rad. Ar. *kaza* iudicavit dictus; at *kazileſ'ker* vel *kadileſ'ker* eſt iudex militaris, Nomine compoſito ex *kazi* et *leſ'kier*, quod poſterius, aeque ac *eskier* in *Seraskier* q. d. caput exercitus, exercitum denotat, adeoque proprie eſt iudex exercitus 5) *Subaſ'i* eſt pagi praetor vel iudex, rebus capitalibus praefectus, nomen adeptus a *ſu* aqua, ſanguis, et *baſ'* caput q. d. ſanguinis capitaneus, ein Blutvogt; at *Sorbaſ'i* eſt minor praefectus cohortis cuiusdam *Ianiſſariorum*, vulg. *Ianitsharen*, quomodo vocantur milites praetoriani pedeſtres, qu. novi milites, a *ieni* novus et *'ceri* miles, ſicuti *Spahi* ſunt milites equeſtres, propr. militares, a Perſ. *ſipah* exercitus, militia, et ſpeciatim quidem equeſtris. 6) *Baſ' wekil* eſt Praeſes conſilii aulici Caeſarii, quaſi caput praefectus, *coll.* Ar. *wakala* commiſit rem alteri, praefecit rei ſuae, et *amina* concredidit, unde *emin* praefectus. 7) *Difterdarii* ſunt quaeſtores, camerae quaeſtoriae praepoſiti, nomen ſortiti a *difter* catalogus, liber, ſpec. accepti et expenſi, ſ. rationarius, unde *difter chane* das Archiv, die Canzelley, q. d. difter domus, et Perſ. *dar* tenens 8) *Chaezinedarii*, vulgo *haznadarii* ſunt theſaurarii, a *Chazine* v. *hasna* theſaurus, et *dar* tenens. 9) *Ciokadarii* ſunt officiales pannos tenentes et tradentes, vel pannorum inſpectores, a *'cioka* v. *cioha* pannus 10) *Ciauſii* ſunt aulici famuli, quibus plerumque utuntur ad deferenda mandata regia, et ad miſſiones ac comiſſiones quasvis 11) *Sangiaki* ſunt vexilliferi, aeque ac *bairakdarii*, a *ſan'giak* et

et *bairak*, quod utrumque vexillum, ſed alterum maius, alterum minus denotat. Alias vexillum quoque dicitur *alem*. 12) *Kilarǧi* eſt cuſtos penus, a *kilar* penus, addita terminatione *ǧi*, qua Turcae Nomina *Actoris*, ab officio vel arte denominati, formare ſolent; ut Nomina abſtracta *Actionis*, aut per integrum Verborum Infinitivum, aut ſuffigendo Infinitivis et Nominibus *lik*, cum *Kaf* vel *Kef* finali, aut mutando Terminationes *mek* et *mak* in *s'* vel *is'*, aut mutando ultimam ſaltem harum Terminationum litteram in *He* otioſum; Nomina *poſſeſſiva* et *gentilia*, adiecto Subſtantivis *lü* vel *li*; et *diminutiva*, addito Subſtantivis *ǧik*, cum *Kaf* vel *Kef* finali, Adiectivis vero, *ǧeh* vel *'ceh*. 13) *Terǧiman*, vulg. *Dragoman* eſt Interpres, a *terǧime* interpretatio. 14) *Derviſii* ſunt genus quoddam monachorum, vel clericorum, qui a paupertate nomen acceperunt, coll. Perſ. *derviſ'* pauper. 15) *Nis'anǧi* eſt unus ex Veziriis, qui ſignum regium, diplomatibus et epiſtolis praefigi ſolitum, et *nis'an* dictum, praefigit. 16) *Kapuǧi* eſt miles praeſidiarius portas cuſtodiens, a *kapu* porta. 17) *Aeſes*, v. *Haſſas*, ſunt vigiles nocturni, ſatellites, lictores, a Sing. *as*. Hisce Nominibus officialibus alia quaedam vocabula, ex Turcica lingua lucem capientia, ſubiungo. *Diwan* eſt Curiae tribunal, a R. Ar. *dana* iudicavit. *Carawana* eſt Perſic. *Karwan*, quod ſignificat iter facientium cohortem. *Moſchea* eſt Templum Turcarum, ex Ar. *mesged*, a Rad. *saǧada* adoravit, factum, q. d. adoratorium ſ. locus adorationis. *Haram* vel *haeram* eſt gynae-

ceum Sultani, velut res sacra aliis *prohibitum*, a Rad. Ar. *harama* prohibuit. *Turban* est capitis fascia, ex sindone, qua caput obvolvunt Turcae; vocabulum vero gallicum, ex *dulbend* factum, quod a Persis, pro strophiolo illud usurpantibus, mutuati sunt Turcae. *Serpos'*, vulg. *tarpos'*, est mitra foeminarum in specie, pro quo alias dicunt *serbend*, a Persicis, *ser* caput, *pus'iden* tegere, et *bend* vinculum. *Istambol*, vulg. *Stambol*, est urbs Constantinopolis, Nomine vel ex εις την πολιν, vel ex κονσαντινοπολις, demendo et mutando quaedam, facto. *Cheimet* est tentorium, in quo olim habitabant; unde ex illo vocabulo Arabico factum est germanicum *Heimath*. *Iulep* est aqua rosacea, voce facta ex *giulab*, hac vero composita ex *giul* rosa, unde *giüliſtan* rosarium, quomodo liber quidam Persicus, a GENTIO editus, inscribitur, et *ab* aqua. *S'erbet* est potus Turcis perfrequens, ex aqua frigida sacharo et succo mali citrini constans, et quasi potus κατ εξοχην dictus, a Rad. Ar. *s'araba* bibit; a qua Radice, vel eius derivato *'sarab* quicquid bibitur, forte etiam ortum est nostrum *Sirup*, nisi hanc vocem derivare malis a Pers. *s'ire*, quod mustum a dulcedine notat. Alias, praeter hunc potum *'serbet*, Turcis in deliciis quoque est *Afiun*, nobis *Opium* dictum, itemque *Kaehwae*, quod est nostrum *Caffee*, potus illis itidem adeo familiaris, ut quod nostrates efferunt per *Trinkgeld*, illi efferant per *pecuniam Kaehwae* vel *S'erbet*; ab iisdem ex baccis Arabiae Felicis *bunn* dictis, et in furno aliquantulum adustis, posteaque contritis, et in aqua coctis confectus; atque nunquam

ieiuno

ieiuno ſtomacho, aut cum ſacharo, at ſemper calidiſſime bibi ſolitus. Atque haec etiam de uſu Linguae Turcicae in explicandis aulicis aliisque nominibus et vocabulis Turcicis protuliſſe ſufficiat. Plura huius generis, maxime vero quae ad aulae Turcicae miniſtrorum Nomina pertinent, praeter Lexica, reperiet L. B. in libro gallico *le Canon de Sultan Suleiman II.* inſcripto; nec non in libro gallico *Nouvelle deſcriptione de Conſtantinople;* KEMPFERI *deſcriptione regni Perſici;* de FERIOLES *iconibus;* et CLODII *Praef. ad Lex. Turc.* in qua Auctor multos praecedentium Scriptorum errores, ex MS. quodam Turcico, a ſe poſſeſſo, *Canun Nahme*, emendavit; alia occaſione de miniſtrorum aulae Turcicae officiis et denominationibus plura afferre pollicitus, licet hoc promiſſum non minus quam illud de *Disputatione ſingulari de Turcarum ſtudiis ac litteratura*, aliaque plura, vel ex *Theſauri Epiſtol. Lacroziani* Indicibus, ſub eius nomine, cognoſcenda, haud impleverit, quod eo magis dolendum, quo maiora ſunt ea, quae hic Vir praeſtare potuiſſet. Videantur tamen interim eius notae breves ad *Chronicon peregrinantis.*

Progredior hinc ad alium Linguae Turcicae uſum, quem praeſtat ſcriptis varii generis utiliſſimis, quae ſimul pro ſubſidiis vel adminiculis iſtam Linguam addiſcendi haberi poſſunt. Ipſi Turcae, poſtquam Muſas amare coeperunt, ſuos quoque habuerunt litteratos, qui in omni fere ſcientiae genere monumenta haud contemnenda reliquerunt; ceu am-

plum horum indicem congeſſit HA'GI KALFA, cum quo conferendi RENAVDOTIVS in *Biblioth. Orientali;* SCHELWIGIVS in *Orat. de Philoſophia Turcarum;* KEMPFERVS in *amoenitat. exoticis;* et CLODIVS tum in *Praefat.* ad *Lex. Turc.* p. 4. ſq. tum in *ſpecimine ex Hiſtor. Orient. litterali de nonnullis Hiſtoricis et Geographis Arabicis Perſicis et Turcicis.* Deinde vero etiam Chriſtiani, quantumvis, ſi comparative loqui velimus, pauciores, ad Linguae et rerum Turcicarum cognitionem promovendam, varia ediderunt ſcripta, huc facientia. Iam omnia, et ab ipſis Turcis, et a Chriſtianis profecta ſcripta, vel ſunt *Grammaticae*, vel *Lexica*, vel *Textus Turcici;* quo ordine utrorumque ſcripta Turcica etiam nunc recenſebo. Grammaticae Turcicae, ab ipſis Turcis confectae, quidem non deſunt; cum certo ſit certius, Turcas ad Arabum imitationem ſuam linguam ad grammatica praecepta revocaſſe; ſed tamen et in MSC. latent, et pure Turcicae ſunt, h. e. in Linguam Latinam, vel, ut cum Turcis loquar, diaconicam non ſunt translata, unde pauciſſimis ex noſtratibus inſerviunt. At nec deſunt Grammaticae Turcicae, a Chriſtianis elaboratae, praetereaque Linguae Latinae uſu noſtratibus magis accommodatae, et editae, quamvis non omnes eiusdem ſint valoris ac pretii. Pertinent huc 1) H. MEGISERI *Inſtit. Linguae Turcicae*, quae *Lipſiae* an. 1612 in forma 8 in IV Libris prodierunt. Turcica in iis Latino tantum charactere expreſſa, et praeterea plurimis foediserroribus, aut ſphalmatibus typographicis, commaculata ſunt, unde

CLO-

CLODIO *foetus deformis ac mutilus* non immerito audiunt. Paulo melioris notae, ſed inſufficiens eſt 2) I. MOLINI *Grammatica Turcica*, eiusdem *Lexico* ſubiuncta, ex ſeptem tantum paginis conſtans, et Turcica itidem charactere Latino exhibens. 3) ANDR. DU RYER *rudimenta Grammatices Linguae Turcicae*, *Pariſ.* bis an. 1630 et 1633 in 4to excuſa. MOLINI quidem et MEGISERI laborem bonitate ſuperant, nec tamen ſequentes. 4) G. SEAMANNI *Grammatica Linguae Turcicae*, *Oxoniae* an. 1670 in 4to edita. Inter Grammaticas Turcicas praeſtantiſſimas ſine dubio haec referenda eſt, ſed raro invenitur. 5) F. M. a MENINSKI *Grammatica Turcica*, cui ſubiiciuntur Linguarum Arabicae et Perſicae praecepta, *Vindob.* an. 1680. in Fol. edita, et nuperrime cura A. F. KOLLAR in duobus Tomis in 4 ibidem recuſa. Haec Grammatica omnium eſt completiſſima, et perfectiſſima. 6) I. D. SCHIEFERDECKERI *Gram. Turcica*, eiusdem *Grammaticae Arabicae*, *Cizae* 1695 in 12 editae, ſubiuncta. Nihil aliud eſt quam Compendium Grammaticae *Meninskianae*. 7) I. C. CLODII *Grammatica Turcica*, eiusdem *Lexico Turcico* ſubiuncta. Tironibus prae caeteris haec commendari poteſt Grammatica, in qua quippe Auctor, in Turcica Lingua, ut aliis, exercitatiſſimus, caeteras bonae notae Grammaticas in ſuum uſum convertit, ſuaque addidit; unde caeterarum cariorum et rariorum defectum compenſare poteſt, ipſamet nec multo aere conſtans, nec rara. Tranſeo Grammaticas FR. MAR. MAGGII, PETRI *della* VALLE, et FR. RIVOLAE, quia hae

nominetenus tantum ex PFEIFFERO mihi innotuerunt. Ex Lexicis Turcicis porro mihi quidem innotuerunt. 1) SCHAHIDII *Lexicon MSC. Persico-Turcicum*, in ipsis Turcarum scholis celebre. 2) ANONYMI *Lex. MSC.* a prima voce Persica *danistem* scire cognominatum. 3) *Lexicon MS. Arabico-Turcicum*, seu explicatio Turcica celeberrimi Lexici Arabici GIEVHARII, cum ALPHARABIO ex Turcica urbe *Farab*, postea *Otrar* dicta, oriundi; quod Lexicon deinceps *Constantinopoli* a. 1141 s. 1728 editum prodiit. Vid. *Thesaur. Epistol. Lacrozian.* P. I. p. 84. 4) A. DEVSINGII *Lexicon MS. Turcico-Persico-Latinum.* 5) EIVSD. *Lexicon MS. Turcico-Latinum*, quod una cum praecedente a se possessum, mihi ipsum Bremae invisenti ostendit Cl. IKENIVS. 6) MEGISERI *Lexic. parvum Latino-Turcicum et Turcico-Latinum*, una cum *Grammatica* supra memorata editum, et eiusdem, cuius illa, farinae. 7) MOLINO *Dittionario della Lingua Italiana Turchesca*, sive, *Lexicon Italico-Turcicum et Turcico-Italicum*, cum *Grammatica*, itidem supra memorata, *Romae* an. 1641 in 8 editum. 8) P. BERNHARDI a PARISIIS *Capucini Vocabularium Italico-Turcicum*, *Romae* an. 1665 in 4to editum, et aeque ac *Molinianum* insufficiens et erroneum. 9) MENINSKI *Thesaurus Lingg. Orient. Turcicae Arabicae et Persicae*, *Vindob.* an. 1680 tribus spissis Voluminibus in Fol. editus. Est hoc opus non solum mole, caritate, et raritate, sed et perfectione ac divitiis omnia reliqua Lexica longe exsuperans. Auctor, quondam divo Imperatori LEOPOLDO LL. OO. Interpres

prima-

primarius, et viginti ac aliquot annos cum Turcis conversatus, Linguam Turcicam perfecte excolendi optimam occasionem habuit, eaque etiam usus est. Praecipuus eius Praeceptor, cum Constantinopoli esset, fuit litteratus quidam Dervisius, Galatensium praepositus, SCHEICH AHMED, ceu ipse Lex. p. 359 retulit. Viennae praeterea cum usus ei concederetur copiosissimae Bibliothecae Caesareae, ex qua magnum Turcicorum Arabicorum et Persicorum Lexicorum numerum per epistolam CLODIO indicavit Archiater Caesareus GARELLIVS; ex huius Bibliothecae Codicibus, collatis aliis propriis, septem annorum spatio contexuit magnum illud Opus, quod deinde in Compendium redigere voluit, sed, morte interveniente, non potuit. 10) CLODII *compendiosum Lexicon-Latino-Turcico Germanicum*, cum tribus indicibus, *Lipsiae* an. 1730 in 8 editum. Ipse Auctor in Praef. refert, se in addiscenda Lingua Turcica Magistro usum esse cive quodam Lipsiensi, qui castra secutus, et a Turcis in bello captus, consiliario cuidam bellico Turcico prope Adrianopolin quindecim annos serviit; se praeterea, frequenti scriptorum Turcicorum, inter quae vel N. T. Versionem ter perlegerit, lectione, multum in hac lingua profeciisse, et quae utrinque collegerit, collatis Lexicis, *Schahidiano*, Cl. MASCOVII opera acquisito, altero illo MS. *danisten* cognominato, quod ipse possedit, et *Meninskiano*, in suum Lexicon redegisse; postquam consilium Vocabularii illius Turcici, quod Vir quidam nobilis, in vinculis Turcicis Tuneti per aliquot menses

menſes detentus, et deinde Lipſiam delatus, Tuneti collectum edere voluerat, publicandi, ob multiplicem huius imperfectionem abiecerit. Caeterum, quae de Grammatica *Clodiana* ſupra iudicavi, eadem omnia de hoc Lexico etiam dicta velim. 11) Ad Lexica Turcica quodammodo referri quoque poſſe videntur: SCHINDLERI *Lexicon Pentaglotton*, in quo, ut ipſe titulus prae ſe fert, hinc inde Turcica etiam vocabula adiecta ſunt; CASTELLI *Lexicon Heptaglotton*, in quo Auctor praeſertim multa vocabula medica, quae Turcae ab Arabibus et Perſis acceperunt, inſeruit; quemadmodum BECHMANNVS, referente GRAEFIO in *Politico orientali*, vocabula Iuridica Arabico-Turcica in peculiari Lexico collegit; et denique ANG. a. S. IOSEPH, *Gazophylacii* illius *Linguae Perſarum* Conditoris, *Pharmacopoea Perſica*, cui, aeque ac praecedentibus duobus multa vocabula Turcica admixta ſunt. Reſtant libri Textus Turcicos continentes, quos nunc ita recenſebo, ut a Textibus et totius Sacrae Scripturae et ſingularum eius partium initio facto, ab his ad reliquos Textus progrediar. Antequam tamen biblicorum Textuum recenſionem aggrediar, de ipſa Verſione Biblica Turcica quaedam praemittere iuvabit. Pro auctore Verſionis biblicae Turcicae, ſi non totius, Novi Teſtamenti ſaltem, quidam habent SEAMANNVM, quem et IO. BALLII *fundamenta Chriſtianae religionis* in Turcicam Linguam tranſtuliſſe perhibent; N. T. Turcici, Oxoniae editi, inſcriptionis ambiguitate, ut videtur, in ſententia ſua maxime confirmati, quae tamen inſcriptio non ſolum

ſolum ſic explicari poteſt, ſed et ob rationem ſufficientem ſic explicari debet, quod SEAMANNVS edendo tantum Novo Teſtamento, ab alio iam Turcice translato, operam ſuam impenderit. Alii ergo, iique plurimi, totius Verſionis biblicae Turcicae, adeoque et N. T. Verſionis, Auctorem faciunt ALBERTVM quendam BOBOVIVM, tum, ob ipſius ad calcem cuiuſdam Codicis IV. maiorum prophetarum Turcici MS. teſtimonium, tum ob conſentientem traditionem annalium. Hic BOBOVIVS, ex Polonia oriundus, ideoque etiam Nomine Polonico BOBOWSKI alias dictus, tanquam Chriſtianus quidem natus fuit, poſtea vero a Tataris captus, Turcisque venditus, et Conſtantinopoli educatus, ad Muhammedicam religionem ſeductus eſt; a qua tamen circa exitum vitae ad Chriſtianam redire denuo voluit, et forte etiam rediiſſet, niſi a morte praeoccupatus eſſet. Ob excellentiſſimum ingenium, et multarum linguarum exactam notitiam, Imperatoris Turcici MVHAMMEDIS IV Interpres primarius factus eſt, atque ab hoc tempore honorificum Nomen ALI BEIGH geſſit. Scriptorum eius plurima Turcarum manibus adhuc preſſa delitescunt; quae vero in notitiam venerunt, ſunt: *Grammatica* et *Lexicon Turcicum*; *Ianua linguarum aurea* Turcice translata; *Eccleſiae Anglicanae Catechiſmus*, rogatu BASIRE Turcice verſus (qui forte idem eſt cum *Catechiſmo* illo, quem CLODIVS in *Praef. Lex. Turc.* SEAMANNO adſcribit, ſubiiciens, eius impenſas a ROB. BOYLE *Armigero* et CYRILLO WYCHE *equite aurato* eſſe erogatas; et cum *fun-*

damentis illis *doctrinae Christianae*, supra eidem SEAMANNO adscriptis); et Tract. de *Turcarum Liturgia*, *Peregrinatione Meccana*, *Circumcisione*, *aegrotorum visitatione* etc. a TH. HYDE *Peritsolianis itineribus mundi*, *Oxon.* 1691. editis, cum notis insertus. Versionem biblicam in gratiam LEVINI WARNERI confeciſſe, et, ut prelo committeretur, Lugdunum Batavorum miſiſſe dicitur. Annus vero in quo Versionem confecit, accurate determinari nequit. Hoc certum eſt, Versionem centum circiter annorum aetatem habere; idque iam ſufficere poteſt, ut ſciamus, Versionem noſtram ad recentiores pertinere, quae in Critica quidem ſacra nullius ponderis ſunt; quamvis, niſi omnes recentiores Verſiones biblicae, propterea non in totum ſit repudianda, cum in Exegeſi ſacra Verſionis noſtrae eo maior ſit uſus et praeſtantia; ſiquidem, ut cum Cel. SCHROEDERO in *Praef. ad IV prima Capita Geneſeos Turc.* loquar, Auctor omnes boni Interpretis numeros adimplere voluiſſe, et loca obſcuriora ita declaraſſe exiſtimandus eſt, ut non contemnendi Commentarii litteralis vices non raro ſupplere poſſe Verſio videatur. Atque haec de ipſa Verſione ſacra Turcica ſufficiant. Nunc Codices ſacros Turcicos, et manuſcriptos, et impreſſos, recenſebo. Ex manuſcriptis Codicibus proſtat 1) *Totum V. et N. T.* tam in Bibliotheca Academica *Leidenſi*, et quidem bis, quam in Bibliotheca *Vinarienſi*. 2) *V. T. Turcicum*, quod ſeorſim poſſedit A. MÜLLERVS; ceu patet ex Catalogo MSS. eius, Excerpto Sinico de *ecclipſi paſſionis Chriſti tempore orta* annexo. 3) *Pentateuchus*, cum Libris

Ioſuae

Iosuae Iudicum Samuelis et *Regum*, itidem in Biblioth. Acad. *Leidensi*, 4) *Pentatevchus* seorsim, in binis exemplaribus, a Cel. I. I. SCHROEDERO ex Constantinopoli Amstelodamum deportatis, et quorum alterum sine punctis, alterum cum punctis vocalibus scriptum est. 5) *Psalterium*, a TH. HYDE olim possessum, et 6) *Evangelia Matthaei* et *Ioannis*, in Bibliotheca *Vpsaliensi*. Ex impressis Codicibus prostant 1) *IV prima Capita Geneseos* Turcice et Latine cum notulis, ex modo dicto gemino exemplari MS. Pentatevchi a Cl. N. G. SCHROEDERO *Lipsiae* 1739. 4. edita. 2) N. T. hoc titulo praenotatum: *Domini nostri I. C. Testamentum Novum. Turcice redditum. opera Gu: Seaman. Oxoniae, Excudebat H. Hall Academiae Typographus 1666*, in 4to. Excepto hoc titulo, qui primam libri paginam implet, totus liber Turcice, et quidem maximam partem sine punctis vocalibus, est exaratus. Post titulum versa pagina Turcice legitur: *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Dei unius: Evangelium sanctum, quod significat, nostri Domini I. C. novum foedus et testamentum, in lingua Turcica explicatum.* In altero vero huius paginae latere loco praefationis Turcice exhibentur nomina ac ordo singulorum librorum N. T. cum numero capitum unius cuiusque libri, praevia eius intimatione, et explicatione compendii cuiusdam scriptionis, in duabus lineis prioribus, h. m. *Matthaei 28 Capita sunt, Marci 16 Capita sunt, Lucae 24 Capita, Ioannis 21 Capita, Apostolorum Actuum 28 Capita*, et sic porro. Tum versa pagina ipse Textus N. T. incipit, praemisso

tantum adhuc titulo speciali Evangelii Matthaei: *Matthaei quod scripsit Evangelium sanctum est;* et primi Capitis indicio, expressis vocibus: primum Caput; per totum vero Codicem frequenter adiectae sunt Textui notulae marginales, brevissimas glossas exhibentes. Caeterum haec Editio N. T. promotore R. BOYLE, et sumtibus societatis cuiusdam mercatorum Turcicorum, excusa esse dicitur. 3) *Evangelium Lucae* 4) *Epistola ad Romanos* 5) *Epistola prima Ioannis*, una cum praecedentibus duobus libris a Ven. CALLENBERGIO Halae ex officina Instituti Iudaici seorsim edita. 6) *Pericopa pentecostalis epistolica*, Actor. II. 1-14. ex Ed. N. T. SEAMANNI Turcice cum analysi exhibita, et *Clodianae* Grammaticae Turcicae ab ipso Auctore subiuncta. 7) *Oratio Dominica*, Matth. VI. non solum in CHAMBERLAYNII *Sylloge Orationum dominicarum*, et *Collectione Versionum orationis dominicae Londini* a. 1700. edita, exstans, sed et a CLODIO Turcice ac cum lectione Latina Grammaticae Turcicae annexa, ita quidem, ut Textum Turcicum ex SEAMANNI Editione N. T. denuo desumserit, quamvis, ut in *Pericopa* ista *Epistolica*, in quibusdam vocibus, levissime tamen, a SEAMANNO discedat, lectionem vero Latinam ex ante dicta *Collectione Londinensi*, licet quoad hanc, ex mendo forte typographico, (quod, ceu CLODIVS alicubi lepide ait, libris eodem modo adhaeret, ut liberis peccatum originale) precatio tertia desit. 8) *Psalmi CXIII. versus 3*, una cum 36. aliis linguis etiam in Turcica exhibitus ab A. PFEIFFERO in *Critic. sacr*,

Ed.

Ed. sext. a. 1721. p. 298. seq. Quoad libros, non biblicos sed alios Textus Turcicos continentes, eosque vel manuscriptos vel impressos, huc pertinet 1) *Coranus*, cuius Paraphrasin Turcicam MS. integram inter Cymelia sua servat Bibliotheca senatoria Lipsiensis, quartam vero partem, referente CLODIO in Epist. ad CROZIVM, *Thes. Epist.* P. I. p. 84. SEEBISCHIVS quondam possedit. Primam deinde Corani Turcici Suram edidit A. ACOLVTHVS, ex suo MS, cum reliquis eius MSS. Orientalibus Bibliothecae senatoriae Lipsiensi inserto, in *Specimine Alcorani quadrilinguis Arabici Persici Turcici et Latini Berolini* a. 1701 in Fol. et ex hoc ACOLVTHI Specimine eandem primam Suram Turcicam, secundum Latinam ACOLVTHI Versionem saltem, Cl. NAGELIVS in *Dissertatione de prima Alcorani Sura* p. 49 edidit. Caeterum haec Turcica Paraphrasis cum Persica inter praestantissimas Corani Versiones et Commentarios referenda est. Videatur de Persica iudicium I. GOLII in *Appendice ad Grammat. Arab. Erpenii* p. 183, et de Turcica iudicium CLODII in *Praef. ad Lex. Turcic.* 2) *Codex Turcicus MS. argumenti moralis et politici Humaiun Nameh* inscriptus, quem etiam SEEBISCHIVS, Bibliothecarius Dresdensis, olim possedit, ceu didici ex *Thes. Epist. Lacroz.* P. I. p. 84. MENINSKIVS non solum in Praef. sui Lexici huius Codicis mentionem fecit, sed et sub calcem Grammaticae suae Turcicae p. 197. seq. eundem typis expressum cum notis grammaticis exhibuit. 3) IAC. NAGY de HARSANI *Colloquia familiaria Turcico-Latina*,

Col. Brand. a. 1672 in 8vo edita. Ex his IV Colloquia selegit, eaque Turcice (sed charactere Latino) et Latine cum notis edidit CLODIVS in *Appendice ad Grammat. suam Turcicam.* 4) *Tabula Sultanorum Othmanicorum* MS. In Bibl. regiam Dresdensem ex Acoluthiana pervenit, et a CLODIO Latine edita est. 5) A. MÜLLERI *Excerpta MS. Turcici de cognitione Dei et hominis ipsius*, cum Vers. Lat. et notis Colon. Brand. a. 1665 in 4 edita. 6) H. GROTII *liber de veritate religionis Christianae* Turcice, in 8. Vid. Cel. BAVMGARTENII *Nachrichten von merckwürdigen Büchern* P. III. p. 294. 7) MEGISERI *Centuriae duae Proverbiorum Turcicorum*, Grammaticae eius Turcicae annexae. 8) CLODII *XXXI Proverbia Turcica*, Turcico et Latino charactere cum Vers. Lat. et notulis quibusdam analyticis *Colloquiis* supra dictis subiuncta. 9) SCHIEFERDECKERI *recensio Turcica diversorum titulorum, quibus insigniri solet primum Corani Caput*, charactere Turcico-Latino cum Paraphrasi Latina et Analysi, sub calcem Grammaticae eius Turcicae. 10) *Tarich Seiiahh* s. *Chronicon peregrinantis*, Constant. a. 1721 Turcice impressum, et a CLODIO Latine cum notis et acc. *tabula imperatorum familiae Othmanicae* Lipsi. a. 1731. 4. editum. 11) *Saadoddini Corona Chronicorum* MS. de qua CLODIVS in Praef. ad tabulam imperatorum etc. modo dictam. Qui plures libros Turcicos, sive Textus, sive Lexica, sive Grammaticas, noscere cupit; post LONGIVM in *Bibliotheca sacra*, Edit. Paris. an. 1723. pag. 135. HERBELOTIVM in *Bibliotheque Orien-*

Orientale, passim, collata tabula indicis, et ASSEMANNVM in *Bibl. Orientali*, collatis itidem indicibus Codicum et rerum, cuique Tomo subiunctis, evolvat *Catalogum Bibliothecae regiae Parisinae*, p. 305-339, ubi 396 Codices MSS. Turcici recensentur; *Catalogum Bibl. Caes. Vindobonens. Nesselianum* p. 145-161, ubi 275 Codices MSS. Lingg. OO. enumerantur; et *Catalogum universalem* omnium fere quae existunt et publicarum et privatarum Bibliothecarum, a BERNH. DE MONTFAVCON editum *Paris.* a. 1739 sub titulo: *Bibliotheca Bibliothecarum MSS.* maxime p. 1-55, 709-725 et 533-587, ut alios Catalogos speciales, e.g. *Medicaeum* et *Zaluscianum*, taceam. Hisce vero librorum catalogis, ad plenam Linguae et rerum Turcicarum cognitionem impetrandam, iungi possunt: HOIA EFENDI *Chronicon Tag Vttewarich* h. e. *corona historiarum* inscriptum; DRECHSLERI *Chronicon veterem regni Turcici historiam exhibens*; CRVSII *Turco-Graecia*; THEOD. BIBLIANDRI *historia de Saracenorum sive Turcarum origine, moribus, religione* etc. quae partem III eiusd. *Mahumetis Saracenorum principis eiusque successorum vitae ac doctrinae* constituit; S. SCHWEIGERI *Reisebeschreibung von Constantinopel nach Ierusalem*, et eiusd. *Alcoranus Mahometicus*; S. GERLACHI *varia orientalia inprimis Turcica*; LEVNCLAVII *Historia Musulmannorum*, L. MARACCII *prodromus ad refutationem Alcorani*, huius Editioni, ab eo procuratae, praemissus, cum ipsis refutationibus et notis Textui Corani subiunctis; ISM.

ABVL-

ABVLFEDAE liber *de vita et rebus gestis Mohammedis*, a GAGNIER editus; G. SALII *Translatio Anglicana Corani cum notis*; G. ELMACINI *Hist. Saracenica*; ABVLPHARAGII *Histor. Dynastiarum*; A. RELANDI *libri de religione Mohammedica*, cum *Indice MSS. Orientalium*, et *Genealogiis Mohammedis et Ahmedis III* ex Turcicis Codicibus MS. editi; A. PFEIFFERI *Theologia Iudaica atque Muhamedica*, cum eiusd. *Critica sacra* p. 263 et *Introduct. in Orient.* p. 36. HENNINGII *Muhammedanus precans*; G. GENTII *notae* ad MVSLADINI SADI *Rosarium politicum*, *Persice* et *Latine* ab eo editum, p. 542 sq. *Bibl. Hallensis* V. I. p. 15-33. 442. IV. 386. 400. V. 230-248. 300. 422. 471 sq. VI. 141 sq. 148. 364. VII. 172. 176; eiusque Contin. sub titulo: *Nachrichten von merckwürdigen Büchern* Vol. II. p. 79. III. 122. 294-296. V. 121. VI. 18-22. 116. 227. 374. 517; et Ven. KNOCHII *Histor. Critische Nachrichten von der Braunschweig. Bibelsammlung* P. VIII. p. 635 sq.

Colophonem tandem Praefationi impono, de hocce meo specimine Turcico commentatione brevissima. Vsus linguae Turcicae multiplex et egregius me quidem permovit, ut posthabitis omnibus, quae alios a Linguis, praesertim primo et absque viva voce addiscendis, retrahunt, molestiis, hanc quoque Linguam ante aliquot menses solo meo Marte ex optimis quibusque libris addiscerem. Quoad Grammaticam quidem coniunxi illam trigam, *Meninskianam* primae Editionis, (alteram enim Editionem videre mihi nondum contigit) *Clodianam* et *Schieferdeckerianam*; quo-

ad

ad Lexicon vero, deficientibus pluribus, solo *Clodiano* usus sum; praxeos caeterum materia ex *Appendicibus ad Gram. Clodianam*, *IV. Capitibus Geneseos*, et *N. T. Turcico* desumta. Atque ex hoc N. T. et Appendicibus illis, quoad maximam partem quoque conflatum est hoc Specimen meum Turcicum. Exhibeo enim in eo primo particulas quasdam N. T. Turcici, scilicet *duo prima Capita Evangelii Matthaei*, *Orationem Dominicam*, et *Pericopam Pentecostalem*, ex Turcico a me Latine versas. Codex Turcicus, ex quo istarum omnium Versio facta, est supra iam descriptus SEAMANNNIANVS impressus, cuius geminum exemplar ante oculos habui; alterum ex *Bibliotheca Biblica Brunovicensi*, a Ven. KNOCHIO ad usum mihi benevole transmissum; alterum, quod ipse nunc possideo, olim vero, ut ex nominis professione et quibusdam annotatis liquet, possedit CLODIVS, qui hoc exemplar, secundum eius *Praef. ad Lex. Turc.* parentis sui sumtibus ex Anglia allatum ter perlegit; cuius diligentiae vestigia etiam in ipso Codice comparent, quippe cuius non solum ligatura frequentiori usu laesa nonnihil est, sed et cuius Textui ille Possessor puncta vocalia crebro adiecit, ubi in exemplari *Brunovicensi* desunt, caeterum utroque Codice conspirante. Quoad easdem particulas, soli *Orationi Dominicae* (quam cum Pericopa pentecostali ex CLODII *Appendicibus* ad *Gramm. Turcicam* etiam desumere potuissem, ex SEAMANNI tamen Editione desumere malui), curiosorum in gratiam adieci lectionem saltem Latinam Textus Turcici, cum ipsis Turcicis characteribus

uti Typographiae rationes non permiserint; circa quod additamentum monendus adhuc est L. B. me cum CLODIO in exprimendis Turcicis per litteras Latinas, litteram *Gim*, respondentem Latinorum *dsch*, per ḡ, litteram *Che*, valentem Latinorum *tsch*, per ć, litteram *Schin*, vel Latinorum *sch*, per *ś*, et litteram *Ghaf* per *gh* et *gi* exprimere; id quod circa omnes singulas voces Turcicas, in hac Praefatione latine expressas, observandum quoque est. Deinde ex CLODII *Appendicibus ad Grammaticam Turcicam* secundo exhibeo XXXI. *Proverbia Turcica*, cum XLIX. aliis, quae ex Lexico *Clodiano* ipse collegi. In horum omnium vero Versione Latina paulo liberior fui, quam in praecedentium particularum Versione, in qua quippe magis litteram et ordinem verborum sectatus sum, quam in his proverbiis fieri potuit et debuit, nisi haec et obscuriora fieri voluissem, et gratiam suam prorsus amittere, quam ex parte iam amiserunt vertendo; siquidem Orientalium Linguarum maiestas et elegantia vix transfundi potest in Linguam Latinam, et in specie proverbia orientalia, Paronomasiam crebro includentia, non eam in hac Lingua servant gratiam, quam in illis habent, unde Latinis auribus parum elegantiae habere nonnunquam videntur, ceu probe iam monuit ERPENIVS in *Praefatione* ad *Centurias duas proverbiorum Arabicorum, Leid.* a. 1614. editas. Atque haec et de Specimine meo hocce in antecessum scire Tua interfuit L. B. Tu, si potes, eo nunc utere, et cum Deo ac die simile *Specimen Copticum* quoque a me exspecta. Vale. Scrib. in Acad. Iul. Carol. die XI Augusti A. MDCCLVI. EVAN-

EVANGELIVM MATTHAEI

CAP. I.

Liber nativitatis (*generationis*) Iesu Christi, filii David, filii Abraham. 2. Abraham Isaac genuit (*pr. generationem fecit*); et Isaac Iacob genuit; et Iacob Iuda genuit, et eius fratres. 3. Et Iuda Phares genuit et Zarah ex Thamare; et Phares Esron genuit; et Esron Aram genuit. 4. Et Aram Aminadab genuit; et Aminadab Naason genuit; et Naason Salmon genuit. 5. Et Salmon Booz genuit ex Rahab; et Booz Obed genuit ex Ruth; et Obed Iesse genuit. 6. Et Iesse David regem genuit; et David rex Salomonem genuit Uriae (qui ex uxore). 7. Et Salomon Rehabeam genuit; et Rehabeam Abia genuit; et Abia Asaph genuit. 8. Et Asaph Iosaphat genuit; et Iosaphat Ioram genuit; et Ioram Oziam genuit. 9. Et Ozia Ioatham genuit; et Ioatham Achaz genuit; et Achaz Ezechiam genuit. 10. Et Ezechias Manassen genuit; et Manasse Amon genuit; et Amon Iosiam genuit. 11. Et Iosia Iechoniam genuit, et eius fratres, in Babelis captivitate. 12. Et a post Babelis captivitatem Iechonia Salathiel genuit; et Salathiel Zorobabel genuit. 13. Et Zorobabel Abiud genuit; et Abiud Eliakim genuit; et Eliakim Azor genuit. 14. Et Azor Sadok genuit; et Sadok Achin genuit; et Achin Eliud genuit. 15. Et Eliud Eleazar genuit; et Eleazar Matthan genuit; et Matthan Iacob genuit. 16. Et Iacob Ioseph genuit, virum (eius) Mariae, a qua natus est Iesus,

qui Christus dictus est. 17. Itaque omnes generationes ab Abraham usque ad David quatuordecim generationes sunt: et a David usque ad Babelis captivitatem quatuordecim generationes sunt: et a Babelis captivitate usque ad Christum quatuordecim generationes sunt. 18. Sed Iesu Christi nativitas (eius) iuxta (super) hunc modum fuit: etenim mater eius Maria Iosepho desponsata cum esset, illorum ante fruitionem amatoriam, a Spiritu sanctitatis praegnans quae fuit inventa est. 19. Ergo Ioseph eius vir, iustus existens, et illam ignominiosam facere nolens, illam clam solvendi consilium cepit. 20. At ille has res cum curaret (pr. *cogitationem faceret);* ecce Domini angelus (eius) in quodam somnio ei apparitionem fecit, dicens: o Ioseph, fili David, ab accipiendo tuam mulierem Mariam non time, quia in ipsa inventum quod fuit, a Spiritu sanctitatis est. 21. Et quendam filium pariet, et nomen eius Iesum vocabis, quia suum ipsius populum ab illorum peccatis salvum faciet. 22. Sed hoc omne factum est, ut a Domino per prophetam dictum impleretur, (pr. *implementum fieret)* dicendo. 23. Ecce quaedam virgo praegnans existens quendam filium pariet, et eius nomen Immanuel dicent, quod explicatum Deus nobiscum (dicere) est. 24. Itaque Ioseph ex somno excitatus, Domini angelus sicuti ei praeceperat, fecit, et mulierem suam assumsit. 25. Et illam ignoravit, usque quo suum primogenitum filium peperit, et nomen eius Iesum vocavit.

CAP.

CAP. II.

Sed cum Ieſus in Iudae Bethlehem natus fuerat, in regis Herodis diebus; ecce magi ex oriente in Hieroſolymam venerunt. 2. Dicendo: Iudaeorum rex natus exiſtens ubi eſt? quia eius ſtellam in oriente videntes, ad ei adorationem faciendum venimus. 3. Et rex Herodes cum audiret, conturbatus fuit, et tota Hieroſolyma cum eo. 4. Et omnes magnos ſacerdotes et populi ſcribas congregans, ab illis interrogationem fecit, Chriſtus quonam in loco naſcendus ſit. 5. Et illi ei dixerunt: in Iudae Bethlehem; quia ſic per prophetam ſcriptum eſt. 6. Et tu Bethlehem Iudae terra (eius), Iudae in ducibus nequaquam minor non es, quia ex te quidam Iudex egredietur, qui meo populo Israeli iudicium facturus eſt. 7. Inde Herodes magos ſeorſim vocans, ab eis tempus ſtellae, quo illa apparitionem fecerit, ſcrutinium fecit. 8. Et illos Bethlehemum mittens, dixit: euntes ſtricte propter filiolum inveſtigationem facite, et (eum) cum inveneritis, mihi nuntium date, ut ego etiam veniens ei adorationem faciam. 9. Et illi regem audientes in viam iverunt, et ecce in oriente quam viderant ſtella, ante illos dux fuit, usque dum veniens ſupra loco quo filiolus erat ſtationem faceret. 10. Et illi ſtellam videntes, in vehementia, magno cum gaudio gaudium fecerunt. 11. Et domum cum intrarent, filiolum cum matre eius Maria invenerunt, et illi cadentes ei adorationem fecerunt, et illorum theſauros cum aperirent, dona ei *ceu* oblationem fecerunt, aurum et thus et myrrham. 12.

Et illi a Deo in quadam visione admoniti, ut ad Herodem retro non reverterentur, alia via illorum in regionem conversionem fecerunt. 13. Et illis euntibus; ecce Domini angelus Iosepho in quadam visione apparitionem fecit, dicendo: surgens, filiolum et matrem eius accipiens in Aegyptum fuge, et in ibi esto, usque dum tibi dixero; quia Herodes filiolum requiret, ad illius perditionem faciendum. 14. Et ille evigilans filiolum et matrem eius noctu assumsit, et ad Aegyptum conversionem fecit. 15. Et usque ad Herodis mortem ibi fuit, ut ad Domino per prophetam dictum implereretur, (p. *ad locum suum veniret*) dicendo: meum filium ex Aegypto vocavi. 16. Itaque Herodes cum vidit, quod a magis subsannatio factus sit, in vehementia iratus fuit, et mittens in Bethlehem et in eius omnibus limitibus existentes omnes filiolos occidit, a bienni et sub eo, secundum illud tempus, quod a magis stricte inquisivit. 17. Illo tempore a Ieremia propheta dicti implementum factum est, dicendo. 18. Quaedam vox in Rama audita est, fletus, et planctus, et magnus luctus: Rahel eius natos deflendo et solatio affecta fieri noluit, propterea quod inventi non sunt. 19. Verum Herode mortuo existente, ecce Domini angelus in visione quadam Iosepho in Aegypto apparitionem fecit. 20. Dicendo: assurgens filiolum et matrem eius accipe, et ad terram Israel ito, quia filioli vitam requirentes mortui sunt. 21. Et ille surgens filiolum et matrem eius assumsit, et in terram Israel venit. 22. Verum cum audivit, quod Archelaus in Iudaea patris eius

Hero-

Herodis (eius) loco dominaretur, ille ab eundo illuc timuit, ſed a Deo in quadam viſione admonitus, ad Galilaeae oras verſus ſeceſſit. 23. Et veniens Nazareth dicta quadam in urbe habitator fuit, ut per prophetas dictum impleretur, quod Nazarenus vocabitur.

ORATIO DOMINICA.

Noſter pater (noſter) qui in coelis es. Tuum nomen (tuum) Bizüm atamüz kih giöglerdehſin. Senün ismün ſanctum ſit. Tuum regnum veniat. Tua mukeddes olſun. Senün melkutün gielſun. Senün voluntas fiat, quomodo in coelo, etiam in terra, iradetün olſun niteh kim giögdeh daechi jirdeh. Quotidianum noſtrum panem da nobis hoc die, Hergiungi bizüm etmekmüzi wir bizeh bu giun. Et noſtra debita nobis condona, quo modo Wæbizüm bor̄glerümüzi bizeh bagis'leh niteh kim nos etiam noſtris debitoribus condonamus. biz daechi bizüm bor̄glülerümüzeh bagis'lerüz. Et nos in tentationem ne introducas. Sed a malo Wæbizi tēgribieh adchal itmeh. Laeken ſerrirden nos libera. Quia tuum eſt regnum et imperium bizi nēgat eileh. Zira ſenündür melkut wæſaltanet et gloria in ſeculum. Amen. wæmēgd ta ebed. Amin.

PERICOPA PENTECOSTALIS.

Et pentecoſtes diei complementum cum veniret, omnes illi unicordes eodem in loco fuerunt. 2. Et

2. Et ſtatim (*pr. in ſtatu*) ex coelo quidam ſonus fuit, quaſi vehemens ventus impetus, et in qua ſedebant domum eorum ſpiritus plenam fecit. 3. Et diviſae factae linguae ignis inſtar illis apparitionem fecerunt, et ſuper unoquoque illorum ſedit. 4. Et illi omnes a Spiritu ſanctitatis pleni fuerunt, et aliis cum linguis loqui inceperunt, ſpiritus loquelam illis ſicut dederat. 5. Et in Hieroſolyma habitantes exiſtentes Iudaei religionem tenentes viri erant, ſub coelo exiſtentium ex omni ſecta. 6. Et huius ſonus cum fieret, multitudo congregata diſperſi fuerunt, quia unusquisque eorum ſuam iuxta linguam illos loquentes audivit. 7. Et omnes attoniti fuerunt, et admirationem fecerunt, unus alteri dicens: ecce hi loquentes ſinguli (*pr. capita ſingula*) Galilaei nonne ſunt? 8. Et nos, unusquisque noſtrum, quomodo audivimus propria in lingua noſtra, in qua nati ſumus? 9. Scilicet Parthi, et Medi, et Elamitae, et in Meſopotamia habitantes exiſtentes, et in Iudaea, et in Cappadocia, et in Ponto, et in Aſia. 10. Et in Phrygia, et in Pamphilia, et in Aegyto, et Africae in finibus, qui ex Cyrene verſus ſunt, et ex Roma qui advenae, et Iudaei, et Iudaicam religionem intrantes. 11. Cretenſes, et Arabes, nos Dei magna opera (eius) noſtra in lingua illos loquentes audivimus. 12. Et omnes attoniti manſerunt, et dubii fuerunt, unus alteri dicentes: hoc quid fieri vult? 14. Verum alii ludibrium facientes dixerunt: (quod) hi a muſto pleni ſunt.

PRO-

PROVERBIA.

I. Praesta beneficium, et in mare proiice (*panem*): si pisces non agnoscat, creator agnoscit.
II. Non quod servus (*homo*), sed quod Deus dicit, fit.
III. Cum sagitta decreti ex arcu providentiae iacta est, scuto cautionis non repellitur.
IV. Si fatum tuum sit, venit ex Arabia felice (*quod non habes*): si fatum tuum non sit, ex ore cadit (*quod iam habes*).
V. Dicere ego est Satanae res.
VI. Omnis dies non est festus.
VII. Stulto omnis dies festus est.
VIII. Vacua manu ad aulam si iveris, Dominus dormit, dicunt: si autem in manu tua sit munus, intra quaeso dicunt.
IX. Cum lacte qui intravit mos, cum anima exit.
X. Rosa sine spinis, amor sine rivali non est.
XI. Vicini ius est ius Dei.
XII. Patientia est clavis gaudii.
XIII. Ex gossypio vetere non fit tela.
XIV. Sagitta iacta non revertitur.
XV. Vnum nudum mille loricati non spoliant.
XVI. Hodie ovum crastina gallina melius est.
XVII. Ex malo ferro bonus gladius non fit.
XVIII. Si inimicus sit formica, elephantis instar reputa.
XIX. Gradatim in scalam ascenditur.
XX. Indicus elephas culicem non curat.

XXI. Equus generosus non indiget calcari.
XXII. Timidus mercator non lucratur.
XXIII. Qui vult socium sine defectu, sine socio manet.
XXIV. Camisia veste propior est.
XXV. Post difficultatem facilitas, extrema luctus gaudium occupat.
XXVI. Homo proponit, Deus disponit.
XXVII. Qui non servire didicit, non potest imperare.
XXVIII. Sanguinem ne fac *(effunde)*, legem fac *(observa)*.
XXIX. Acetum gratuitum melle dulcius est.
XXX. Mediocritas optima est.
XXXI. Tempori inserviendum est.
XXXII. Non est ei funis aut manubrium. *h. e. sermonis eius nulla connexio.*
XXXIII. Mors via communis est, et omni viventi meta.
XXXIV. Vitae vestis est mutuata.
XXXV. Vir moritur, nomen manet.
XXXVI. Nomen adest, sed genus *(existentia)* deest. *De re fabulosa.*
XXXVII. Occasio est lucrum.
XXXVIII. Esto liberalis instar palmae.
XXXIX. Cupressi instar liber esto.
XL. Patientia est aloe.
XLI. Dilecti verberatio uva passa est.
XLII. Post patientiam victoria.
XLIII. Poma ne accipito, pira ad modium usque.
XLIV. Platanus et cucurbita. *Prov. de rebus inter quas nulla proportio.*

XLV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819094994/phys_0046
DFG

XLV. Non est avis illius ficus, non est oris eius cochlear. *h. e. ei non prodest.*
XLVI. Manus est mea, fimbria tua. *h. e. patronus meus es, ego cliens.*
XLVII. Peccatum est meum, condonatio tua.
XLVIII. Fortuna huius mundi ut phantasiae somnii sine durabilitate sunt.
XLIX. Cuilibet rei est periodus sua.
L Res mea a Deo dependet.
LI. Curvus sede, recte loquere. *Turcae decussatim, vel pedibus sub se positis, sedere solent.*
LII. Rosa intentionis non efflоruit.
LIII. Rosarium amicitiae amoris eorum viride ac recens est.
LIV. Inscriptum est capiti eius. *h. e. praedestinatum est ei.*
LV. Temonem voluntatis ad velum fati dirigit.
LVI. Cum venit fatum, oculus intellectus coecus est.
LVII. Domus vanitatis est mundus.
LVIII. Terra est mihi ferrum, coelum aes.
LIX. Bonum vel tudes capiti tuo obveniat.
LX. Aut fortuna capiti, aut corpus cadaveri.
LXI. Aut corona, aut calamitas. *Dicta hominum audacium sunt.*
LXII. Panis et salis ius novit. *h. e. gratus est.*
LXIII. Ingenii acumine unum pilum in quadraginta findit. *h. e. acutissimus est.*
LXIV. Vnum pilum nescit. h. e. *nihil scit.*
LXV. Multa loqui mulierum est.
LXVI. Avis pennas mutans non cantat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819094994/phys_0047
DFG

LXVII. Celebris nomine, sed deficiens corpore. *h. e. rarus.*

LXVIII. Passibus intellectus ad pinnas comprehensionis eius ascendere impossibile est.

LXIX. Vbi pedem fixerunt Othomanni, non crescit herba.

LXX. Ad stapedes imperiales allatum est. *h. e. notificatum est.*

LXXI. Aqua in os eius venit.

LXXII. Anima ad os venit.

LXXIII. O anima mea, et in throno cordis mei princeps! *Dictum blandientis.*

LXXIV. Viris honestis unum verbum est.

LXXV. Difficultatum solutio est hominis generosi.

LXXVI. Omnis longurio stultus est.

LXXVII. Num aegrum de lecto interrogas? *h. e. liberalis non est qui interrogat.*

LXXVIII. In oculis meis non est. *h. e. non curo.*

LXXIX. Curas procrastina.

LXXX. Quot linguas quis callet, tot hominum vices sustinet.

F I N I S.

HELMSTADII
LITTERIS b. SCHNORRII.

F Reppien

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819094994/phys_0051
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819094994/phys_0052
DFG

PROVERBIA.

eneficium, et in mare proiice (*panem*):
ces non agnoscat, creator agnoscit.
od servus (*homo*), sed quod Deus dicit,

itta decreti ex arcu providentiae iacta est,
cautionis non repellitur.
n tuum sit, venit ex Arabia felice (*quod habes*): si fatum tuum non sit, ex ore (*quod iam habes*).
go est Satanae res.
dies non est festus.
omnis dies festus est.
manu ad aulam si iveris, Dominus dordicunt: si autem in manu tua sit munus, quaeso dicunt.
te qui intravit mos, cum anima exit.
e spinis, amor sine rivali non est.
is est ius Dei.
ia est clavis gaudii.
ssypio vetere non fit tela.
iacta non revertitur.
nudum mille loricati non spoliant.
ovum crastina gallina melius est.
alo ferro bonus gladius non fit.
imicus sit formica, elephantis instar re-

tim in scalam ascenditur.
elephas culicem non curat.